

fortis domini eſſent; ſicut quondam leuita, ſuam etiam habere portione. Præterquam quod ſancti Simplicius, Gelafius, & Gregorius Auctores Canonum de quartâ pauperibus erogandâ poſt D. Hieronymum, non exiguo annorum interſtitio in Sede Apoſtolica præſederunt, quibus etiam antiquior D. Proſper, ut apud Eccleſiaſticos historiographos videri poteſt, & pro eodem P. Molina Diſputat. 1. 42. §. Tempore Simplici. Et P. Thomas Sancius. Tom. 1. Conſultorum, Lib. 2. Cap. 2. dub. 37. mon. 6.

74. Concludit ſic tandem Gloſſa, & in Summa: ſi abundantes de bonis Eccleſiæ ſuſcipiant, ſive abſentes, ſive præſentes ſunt; licet non debet eis denegari portio, quia nemo cogitur ſuis ſtipendiis militare: mortaliter tamen peccant, præſertim ſi ex cupiditate ſua referuati. Sic ibi citans Caput ſequens, & Scripturâ auctoritatem inductam. num. Præcedenti. In quo difficile ſatis apparet, quomodo denegari portio nequeat, eò quod nullus ſuis ſtipendiis cogatur militare, & alioqui mortaliter peccet, qui debitum ſtipendium recipit; etiamſi alius habeat unde poſſit ſuſtineri. Si enim negari ſtipendium nequit, ſequitur neque iniuſtè peti, cum ſit ſpiritualis militiæ ſtipendium. Et ita tenent Troilus Maluicius Tractatu de oblationibus, in fine. Dominicus Sotus de iuſtitia, & iure. Lib. 10. queſt. 4. art. 3. Cardinalis Lugo Diſputat. 4. de iuſtitia, num. 36. P. Thomas Sancius Tom. 1. Conſultorum, Lib. 2. Cap. 2. Dub. 44. & alij Doctores communiter, vt ex Gabriele teſtatur Alphonſus Valdes; in Tract. de Eleemofyna, fol. 42. Col. 4. & quod, etiamſi ex cupiditate referuet, non ſit peccatum mortale, communis ſententia eſt, quia neque contra iuſtitiam quidquam committitur, vt eſt plauum; neque contra charitatem, quia ratione ſtipendij accepti non magis obligatus manet Clericus, quam quilibet alius, qui ſtipendium labore quolibet meruiſſet. Affectio autem erga bona temporalia numquam eſt mortalis, niſi quando contra iuſtitiam, aut Charitatem militat, vt luculenter tradit D. Thomas 2. 2. queſt. 1. 3. art. 4. in Corpore: vbi ſic concludit. Si inordinatio amoris intra hoc ſtat: vt ſcilicet homo quamuis ſuperflue diuitias amet, non tamen præfert earum amorem amoris diuini; vt ſi propter diuitias non velit aliquid facere contra Deum, & proximum, ſic auaritia eſt peccatum veniale. Sic Doctores Sanctus. Non videtur ergo quomodo prædicta poſſit conſtare doctrina. Ex eâ tamen id deduci poteſt; Beneficiarios, & Episcopos præſertim, de quibus modo agimus, circa hoc debere eſſe vehementer attentos. Nam ſi ij, qui ſtipendium ſui laboris accipiunt, cum non egeant, mortaliter in eo peccant, iuxta Gloſſam: quid de illis cenſeri oportet, qui Eccleſiaſticos redditus accipiunt, in quibus pauperes ſuam habent portionem?

75. Sed ad id, à quo paululum ſumus digreſſi, reuertendum. Episcoporum congrua talis eſſe debet iuxta Apoſtolicos Canones; vt nihil eis deſit. Quod quidem ita accipiendum, vt non ſolum naturæ, ſed decentiæ, ac honorifici ſtatus in oculis deſinari, ad quem eſt dignitas Episcopalis prouecta, ratio habeatur. Pro quo eſt Gloſſa celeberrima in Cap. Clericus 21. queſt. 1. Verbi Neceſſitatem. Vbi cum adducat Cap. Episcopus, citatum; neceſſaria tantum ad victum, & veſtitum,

Vi tandem concludat, negans poſſe accipi portionem ab iis, qui habent unde alias quam ſuſtineri.

Evidens in illa contradiſtione.

Cui & Doctores communiter contradiſtancant.

Affectio ad diuitias quando mortalis.

D. Thomas.

Congrua Episcopalis vltior declaratio.

iuxta doctrinam Apoſtoli limitans, & Cap. Vilem 42. diſt. In quo ſic dicitur: Episcopis Vilem ſuppelleſtilem, & menſam, ac victum pauperem habeat; & dignitatis ſua auctoritatem, fidei, & vite meritis querat: hoſpitalium quoque non longe ad Eccleſiam habeat. Sic ibi ex Concilio Charchagin. 4. Cap. 17. Cum inquam hæc adducat, ſic ſubdit: ſed hoc obtinuit ſecundum illa tempora: hodie vero creuit decus Eccleſiæ, creuitque Deus Eccleſiæ. Sic Gloſſa in confirmationem poſitionis ſupæ allegans Cap. Vaſa de Conſecrat. Diſt. 1. Vbi ſic dicitur. Et hoc enim ſent, & in reliquis cultibus (in valis inquam pro conſecratione Corporis, & Sanguinis Chriſti) magis, & magis per incrementa temporum decus ſuccreuit Eccleſiarum; noſtris enim diebus, qui ſerui Patris Familias ſumus, ne decus Matris Eccleſiæ minuat, ſed magis amplietur, & amplifietur, &c. Debet ergo iuxta hæc aliquid decentiſimo Episcoporum ſtatui tribui, quod nequit Arithmetice deſignari, vt bene admonet D. Solorzanus Lib. 3. Cap. 10. num. 72. vbi textus aliquos adducit minimè ad propoſitum conducentes, & merito celebrem Gloſſam laudans in Cap. Clericus 21. queſt. 1. §. Neceſſitatem, de qua dictum; alia enim ibidem ſunt obuia, quæ non eſt opus adieciſſe. Videatur P. Molina Diſputat. 145.

76. Siue autem Canones, qui de portione pauperibus assignatâ loquuntur, & habentur diuerſis Capitibus 1. 2. queſt. 2. alibi que; ſive qui de perceptione decimarum diſponunt, ſuper quibus ſunt Beneficia Eccleſiaſtica conſtituta, & in ordine præſertim ad Episcopos, inſpiciamus; nullibi certe inueniemus poſſe eos id, quod deductâ congruâ ſuperest, in alienas terras, etiam bonorum operum intuitu tranſmutare. Licet enim domini efficiantur reddituum, vt ſatis probabilis ſententia firmat, de quo ſupra; obligatio tamen ſub mortali obſtringens cum redditibus venit. Pro quo videri poteſt P. Molina Diſputat. 144. §. Hæc ita conſtituitur. Cardinalis Lugo Diſputat. 4. citatâ Sect. 2. P. Sancius ſupra, dub. 38. vbi innumeris congerit. P. Leſſius Lib. 2. Cap. 4. num. 47. & ſeqq. & alij paſſim. Ex quo inferit Gregorius Lopez in L. 40. Titul. 5. Part. 1. in Gloſſa magna in fine; iure actionis poſſe cogi Eccleſiaſticos conferre ſuperfluos fructus Beneficij pauperibus; & cum eo Alphonſus de Valdes Tractat. de Eleemofyna 3. parte fol. 39. Col. 1. & pro eo recolendum, quod diximus num. 72. & obligatio quidem talis erga pauperes populares, aut regionarios vrget, vt textus adducti ſignificent, & docent D. Thomas Quodlib. 197. Gregorius Lopez ſupra, verb. Limofnas. Valdes fol. 36. Col. 3. num. 3. & alij, & ita nequeunt ea, quæ ex decimâ contributione proueniunt, aliò deportari.

77. Pro quo eſt etiam ratio penitus irrefragabilis: nam eo tempore, quo quarta pars bonorum ditorum erat assignata pauperibus non alijs, quam popularibus, aut prouincialibus donari poterat: atqui poſt erecta Beneficia, certoque prouentus ſingulis Titulis ex decimis aut aliter assignatos, eadem remanſit obligatio: ergo nequeunt illa extraneis deſinari. Maior probatur ex Canonibus allegatis. Cap. Vobis, Cap. Conſue. Cap. Quatuor, Cap. De redditibus, Cap. Cognouimus, Cap. Mos eſt 12. queſt. 2. & alijs; vbi eodem modo assignatur quarta pauperibus, ſicut alia

Cap. Vilem 42. diſt.

Gloſſa celeberrima in Cap. Clericus 21. queſt. 1. Verbi Neceſſitatem.

Cap. Vaſa de Conſecrat. Diſt. 1.

Eleemofinas non poſſe in extraneas prouincias deſinari.

Obligatio Episcoporum circa ſuperflua ſub mortali.

Notanda doctrina.

Ex aſſignatione quartæ pro pauperibus vbi ſens ratio.

alia Episcopis, Clericis, & fabricis; atqui Episcopis, Clericis, & Fabricæ, pro ijs, qui in regione ſunt, & non in terris extraneis interpretationem accipere poſſunt; ergo & pauperes. Præterea Episcopis quarta assignatur pars, quæ eſt ſanè magna, & ratio illius ſuperabundantiæ redditur hoſpitalitas, vt videri ſpecialiter poteſt in Cap. Mos eſt. ibi: vna videlicet Episcopo, & familie eius propter hoſpitalitatem: Hoſpitalitas autem extraneorum non eſt, ſed in domibus Episcopalis exercetur.

Item in Cap. Vobis, ſic habetur: Tertiam pauperibus ſub omni conſcientia ſaciât erogari. Quod eſt idem, ac omnibus ſcientibus; eò quod publicè diſtributio fiat, vt diſponitur etiam in Cap. Quatuor, vbi ſic Gelafius: Iſtam nihilominus adſcribam pauperibus portionem, quamquam diuini rationibus ſe diſpenſaſſe monſtraturus eſſe videatur: tamen iuxta hoc, quod ſcriptum eſt: vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Matth. 5. Oportet etiam præſenti reſtitutione prædicari, & bonæ ſamæ præconijs non taceri. Sic ille quàm quod clariffimè. Quibus addo Cap. Sanum, ibidem ex Concilio Toletano vbi ſic dicitur: Prima pars ſecundum Apoſtolorum præcepta Titulorum nec non cæmiteriorum reſtaurationibus diligenter attribuitur: ſecunda Clericis: tertia cunctis pauperibus: quarta vero aduenis. Sic ibi: cum vero cunctis pauperibus attribuenda ſit pars illa tertia, manifeſtum eſt prouinciales pauperes non eſſe eò ſubſidio deſraudandos. Quod ſi ita fiat, nihil certè ſupererit pro extraneis, niſi forte hoſpites ſint; immò neque iſtis ex portione illa ſubuenire voluerunt Apoſtoli, ſed ex alia, quæ ſecundum alios Canones Episcopis assignatur. Et hæc quidem Maiorem illam propoſitionem ſatis aperte demonſtrant. Minor autem eſt manifeſta; quia ex nouâ illâ diſpoſitione nihil eſt ſublaturum pauperibus, quia neque Apoſtolica eſt conſuetudo in mores inducta vllatenus abrogata: neque Eccleſiæ pietas imminuta: id quod ſacri Canones nouiores exponunt; ſic enim in Cap. Tua nobis de decimis. Innocentius III. Nec decimas (quæ tributa ſunt egentium animarum) præſumerent detinere. Sic ille: ex quo illatio manifeſta deducitur, teneri inquam Episcopos, ſicut & Eccleſiaſticos alios, ad ſubuentioem pauperum, qui ſunt iſtis comprouinciales, nec poſſe, quod eis debitum eſt, alijs applicare.

78. Quod quidem limitandum eſt niſi in Hiſpaniâ ſint Episcoporum conſanguinei, ijs enim ſuccurri ab eisdem poteſt, vt pote indigentibus, iuxta id, quod Concilium Tridentinum his verbis exponit Seſſione 25. Cap. 1. de reformatione. Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiares ſuos augere ſtudeant: cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, ijs, vt pauperibus diſtribuant. Sic Concilium. Cum ergo frequentiffimè accidat, vt conſanguinei Episcoporum extra illorum territorium ſint, dum ijs Concilium ſubueniri permittit, non debet ad præſentes tantum ſubuentio coarctari. Canones Apoſtolorum, ad quos alluditur, ſunt 39. & 75. & de his mentio in Cap. Quiſquis 12. queſt. 2. vbi eadem exstat Concilij doctrina circa conſanguineos. Pro quo & eſt Cap. Eſt probanda 86. diſt. in quo ſic dicitur: Eſt probanda

alia liber alitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, Cap. Eſt ſi egere cognoſcas: melius eſt enim, vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt ab alijs ſumptum depoſcere, aut alieni poſtulare ſubſidium neceſſitatis: non tamen vt illi diuites fieri velint, ex eo, quod tu potes conferre in apibus; cauſam enim natura præſtat, non gratia. Hæc ibi; & alia ex D. Ambroſio 1. Officiorum, Cap. 30. Vide Portel Tomo 2. Caſu 94. Licet autem ibi non loquatur de Episcopis, quia tamen illa naturæ ratio communis eſt, merito ad illos in calibus ſimilibus deriuatur.

79. Quia vero Concilium de redditibus tantum Eccleſiaſticis loquitur, non eſt illud ad emolumenta alia præter decimas ampliandum, quia in illis eſt portio pauperum incluſa, non ita in alijs, vt eleemofynis, pro Miſſis in funeribus, oblationibus, procurationibus, viſitationibus, confirmationibus, firmis, & alijs pœnis pecuniarijs, ſi quæ a iure Cameræ Episcopali applicantur, vt bene cum multis docet Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 10. numer. 75. & in Polirica Lib. 4. Cap. 10. Pag. 576. Col. 1. Quibus addendum etiam magni emolumentum ex quartis funeralibus, & oblationum, de quâ Concilium Limenſe tertium Actione 4. Cap. 20. vbi citatur Cap. Conquerente de officio iudicis ordinarij. In eo autem quartæ oblationum mentio nulla; in quâ tamen obtinuit conſuetudo; ſicut etiam inualuit, vt Cathedraticum, aut Synodaticum, de quo ibidem Honorius III. non ſoluatur. Cum tamen Auctores dicant non poſſe præſcribi, vt videri poteſt apud Barbolam de Poſtate Episcopi, Allegat. 86. §. 3. Dicendum & de hoc inferius, vbi de Parochijs, & Aſſerione 5. de quartâ verò decimationum alia eſt in Indiſ diſpoſitio. Pro libertate autem Episcoporum circa prædicta facit Cap. Episcopi 12. q. 1. in quo ſic dicitur. Episcopi de rebus proprijs, vel acquiſitis vel quidquid de proprio habent, hereditibus ſuis (ſi voluerint) derelinquant; quidquid vero de portionis ſue Eccleſiæ fuerit, ſive de agris ſive de fructibus ſive de oblationibus, omnia in iure Eccleſiæ referuare cenſuimus. Sic ibi ex Concilio Agathenſi: vbi quod de oblationibus dicitur, vel iure nouo immutatum eſt, vel de illis intelligendum, quæ intuitu Eccleſiæ ſunt, & eſt commodior explicatio & conſona Cap. Clerici 13. queſt. 2. Vbi ſic dicitur: Clerici vel ſeculares, qui oblationes parentum, aut donatas aut reſtamento reliſas, retinere perſiterint, aut ipſi, quod donauerant Eccleſijs vel Monafterijs, crediderint auferendum; ſicut ſancta Synodus conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſijs excludantur. Sic ibi ex Concilio eodem Cap. 4. videatur P. Molina Diſputat. 142. §. Dixi hodie: vbi quid oblationum nomine prioribus illis Eccleſiæ temporibus præcipuè intelligeretur, bene exponit, & P. Fagandez circa 5. Eccleſiæ præceptum Lib. 4. Cap. 1. numer. 5.

80. Sunt autem, qui Episcopis hæc in parte plus faueant aſſerentes, poſſe illos opera pia in alijs locis ab eo diuerſis, in quo Beneficium eſt ſitum, efficere; ſicut & Beneficiarios quolibet. Sic enim tenet Nauarrus in Apologia circa hanc materiam Monito 77. cuius ſententiam laudat P. Molina Diſputat. 145. §. illud verò, & ſequitur Cardinalis Lugo Diſputat. 4. num. 39. quando neceſſitates non ſunt extremæ, aut graues, ob rationem quandam plus ſubtilitatis, quam ſoliditatis habentem

Limitatio alia, & de fructibus tantum de amalibus ſi ſermo.

Cap. Episcopi 12. q. 1.

Quid de oblationibus.

Sententia fauens, vt opera vbi que fieri queant.

PP 3 bentem



bentem, attentâ Iuris Canonici diſpoſitione, ad quam eſt præcipuus recurſus habendus. Pro quo & Dom. Solorzanus *Lib. 3. Cap. 10. num. 65.* & in *Politica Pag. 575. Col. 2.* Qui tamen plura adducit ita oppoſitum probantia, vt id potiùs ſentire videatur, conuenientiam apertè proteſtatur. Videatur in locis, pro quibus ſeipſum citat: ſic etiam tenet P. Bauny in *praxi Beneficiorum, Diſput. 15. Quæſt. 23. Dub. 6.* Quod & videtur probare multorum Prælatorum munificentia, qui extra prouincias ſuas Monafteria, & collegia celeberrima conſtruxerunt, vt Salmantica, Valliſolei, Hiſpali, Compluti, & alibi videre licet. Verùm limitatio, quæ additur, talis eſt, vt vix locum habere ea doctrina poſſit: dicitur enim id tunc fieri poſſe, quando ita poſtulat commune diœceſis, Regionum, aut totius Eccleſiæ bonum: vt ſi collegium in vniuerſitate à loco Beneficij diſtante ad miniſtros Eccleſiæ educandos, aut aliud ſimile fiat, vel certè occurrat peculiaris alia ratio, quæ id perſuadeat. Quæ ſi deſint, tunc opera pia potiùs fieri debent in populi vtilitatem, qui redditus contribuit. Id, quod non de populo, in quo ſita eſt Cathedralis, ſed de alijs, ad quos diœceſis extenditur; eſt accipiendum, iuxta eorum indigentiam & qualitatem. Hæc inquam limitatio vix locum, vt dixi, generali doctrinæ relinquit: cum enim ſubſidium Epilcopi ad totam ſe debeat diœceſim extendere, incredibile eſt in eâ multas, & graues neceſſitates non occurrere, quibus illud debeat impendi. Communis autem boni reſpectus adeo in longum protenditur, vt propter illud non debeant pauperes gementes & ſtentes in miſeriarum valle relinqui; quod enim Collegium fundetur ad educandos Miniſtros, bonum quidem eſt, ſed multum profecto expectandum quouſque operis huius vtilitas ſentiat.

Reſpectum boni communis non ſuffragari.

81 Quod autem id non habeat vim, ex eo liquet, quia ſi reſpectus dictus contra ſubuentio-nem præſentium neceſſitarum præualeret, fieret ex eo, quidquid Epilcopus per multos annos ex redditibus Eccleſiaſticis, detractâ congruâ, com-portat, poſſe in huiusmodi operibus extra diœ-ceſim factis inſumere, nullo totius ſuæ vitæ tem-pore ſubſidio pauperibus impertito. Quod quidem ex illa ſequitur poſitione, quia commune bonum priuatis alijs debet anteferri. Id autem niſi temerè, nequit admitti; eſt enim contra ſæro-rum Canonum diſpoſitionem, de qua dictum *num. 77.* Quod ſi magnos Prælatos talia quædam cum fructu & laude parrarunt, dici poſſet, vel à Pontifice ſpecialem facultatem habuiſſe; vel ea bona in id genus operum contuliſſe, quæ ex red-ditibus Eccleſiaſticis non obuenerant, ſed aliunde iuxta dicta *num. præced.* Pro quo & videri poſſet Diana *Parte 4. Tractat. 4. Reſol. 171.* vel ſi ex red-ditibus ſubere prædictis, ea tamen de congruâ ſub-traxerunt: talia enim donari liberalius poſſe, aut de illis pro libito diſponi, communis ſententia eſt, quam cum alijs tenent P. Molina *Diſput. 145.* & 146. Cardinalis Lugo *Diſput. 4. citat. num. 35.* P. Thomas Saneius *Diſput. 4. citat. dubio 43. num. 3.* P. Petrus Hurtadus de Charitate *Diſput. 160. §. 113.* & alij apud Dianam *parte 4. Tractat. 4. Reſol. 171.* & *Parte 5. Tractat. 8. Reſol. 27. §.* Nota etiam idem tenentem. Et Dom. Solorzanus *Lib. 3.*

Quid de exemplis magnorum Prælatorum.

Quia con-grue ſub-trahuntur, pro libitu poſſe expen-di.

Cap. 10. num. 70. & ſeqq. plures congerens, & in *Politica Pag. 576. Col. 1.* Cum autem redditus ſunt pingues, per annos aliquos ſumma ſic ſub-tractorum ad cumulum magnum poſſet excre-scere.

82 Et circa hoc docti & exemplares Prælati ſolent eſſe diligenter attentî, & hoc ipſo, quo hæc ſcribo, tempore, cum illuſtriſſimus DD. Gaſpar de Villaroel Epilcopus Arequipenſis, mille octi-regales in hanc Regum ciuitatem ad impreſſionem libri cuiusdam à ſe conſtructi miſiſſet, admonuit curatores operis, ne ſcandaliza-rentur ex tali ſumptu, nam illud victui ſubtraxe-rat ſuo; quod quidem, & aliàs ab eodem fieri ſo-litum, vt opera pietatis promoueat, pro quibus, ne ipſi quidem Bibliothecæ pareat, quâ nihil viro eſſe literato quidquam pretioſius poſſet, & qui-dem ad effectum prædictum poſſe ex redditibus id deſumi, quod neceſſarium occurrit, ſatis vero-ſimile eſt: nam in Prælato ſic docto, vt opera poſſit in publicum dare, quod pro editione ne-ceſſarium eſt, debet ad congruam ſuſtentationem etiam neceſſarium iudicari. Docti enim Prælati, qui operibus huiusmodi, Eccleſias, quibus præ-ſunt, illuſtrant, maiori ſtipendio digni ſunt, vt tenet Nauarrus in *Apologia citat. Monito 82. num. 7.* P. Molina *Diſputat. 145. §. Dubium eſt,* & alij. Præterea librorum editio cum in bonum com-mune redundet, opus pium eſt, & intra diœceſim conceptum; vnde cum pro editione adhibetur aliquid, nihil ſit à communi regula peregrinum, etiamſi editio alibi faciendâ ſit; vt ſi Epilcopus pro aliquo ſolueret, quod in exterum erat mit-tendum creditorem. Item ex Tridentino, vt vi-dimus, poſſet Epilcopus competentes Conſan-guineis facere donationes; quod quidem erga filios præſertim locum habet, vt omnes admit-tunt, & ad filios illegitimos, etiamſi ſpurij, id extendunt: pro quo citati, Prior *agens de ſpalijs Clericorum. §. ultimo, num. 9. & ſeqq.* & alius *Diſp. 146. in fine.* & præterea P. Thomas Saneius *ſupra dubio 38. n. 6. & ſeqq.* Sunt autem libri nobilium ingeniorum filij, vt ex Platone, & Ariſtotele no-tum, pro quo & Martialis *Lib. 1. Epigram. 34.* illud: *Cuſtodit ipſe Virginiſ pater chartæ:* vt ergo illi vi-uerè poſſint, & honorem apud homines, quan-tus illis eſt debitus, comparare, id poſſet ab Epil-copis, & alijs conferri, quod ad eorum neceſſa-rium vilius fuerit editionem.

Notandum exempli.

Etiã poſſi-hac ſcripta Archiepiſ-copus Pla-tenſis.

Pro impreſ-ſione libri expen-ſas fieri poſſe, nihil con-grue detrin-hendo.

Sicut & pro ſiliorum etiam ſuperiorum ſu-ſtentatione.

Libros illi-ſtroyenſi-ſi-los.

Peculiareſ alia ratio-nes vt in-uenire poſ-ſint.

Notanda pro reſolu-tione do-ctrina in fauorem Prælatorum.

83 Iam quod peculiaris alia ratio occurrere poſſet præter illam communis boni, iuxta Au-ctores, de quibus *num. 80.* vt opera pia poſſint extra diœceſim fieri, facilius admitti poſſet, ſed nihil tunc diuerſum à communi doctrina con-tingit: nam ſi opera illa in bonum commune non tendunt, bonum equidem erit priuatorum, quorum indigentia ſubuenitur. Poſſet enim ea talis eſſe, vt ſubſidium extra diœceſim tranſmitti oporteat, ſicut in caſu de quo *num. præced.* cui ſi-miles alij excogitari poſſunt. Et quidem non eſt opus vt ſit illa nimis vrgens; cum enim iuxta re-ceptiſſimam ſententiam (cuius oppoſitam iudicat improbabilem P. Turrianus in *Seleſtis Cent. 2. Dub. 27. & 28.* vbi ait multos ita hæc ætate ſenti-re) Epilcopi dominium reddituum habeant, qui ad eorum pertinent portionem; liberam etiam habent eorum diſtributionem. Vnde vt dilapi-datores

darores non dicantur, quæuis rationabilis cauſſa erit ſatis: non enim rationi conſentaneam diſper-ſionem Concilia, & Sacri Canonum damnant, cum illi pauperibus videntur ſubſtrahi, ſed à & ratione alienam diſtractionem. Pro quo ſunt verba Con-cilij Tridentini poſt allata *num. 78.* quibus conſanguineis, vt pauperibus tantum iubet ab Epil-copis ſacra emolumenta diſtribui; ſic enim ſub-dit: *Eis autem (res ſcilicet Eccleſiaſticas, quales redditus ſecundum datam ibidem explicationem) non diſtrahant, nec diſſipent, illorum cauſſa.* Sic Con-cilium, ſtatim ad Eccleſiaſticos omnes etiam Car-dinales, vrgens documentum extendens. Quod autem de conſanguineis dictum, omnem alium humanum reſpectum comprehendit: non ergo diſtributio quæuis, ſed diſtractio, & diſſipatio prohibetur. Nequit autem talis dici diſtributio, quam pietas, & ratio non penitus humana per-suadet: & in fauorem huius reſolutionis ſentit. D. Villaroel poſt eam elucubratur vltus, dum *Partie 2. Quæſt. 14. art. 4. n. 84.* ait diœceſanos paupe-res præferendos, licet alijs poſſit iucurri, ſi opes ad omnia ſuppertant, & Diana *Part. 10. tract. 14. Reſol. 36.* vbi alios adducit.

Concil. Trident.

§. IV.

In quarta exactione quomodo peccare poſſint.

Aſſertio 5. circa quar-ta exactio-nem vt cõ-tingat gra-uius pec-cari.

84 Dico quinto: Epilcopi Indiarum pec-cabunt grauiter, & cõ obligatione re-ſtitutionis, ſi in exigendâ quartâ funerals, & obla-tionum, ita Beneficiarios vrgent, vt illi pluſquàm debent, inuiti contribuant. Res eſt plana: ſed praxis non ita plana eſt ſolet, miniſtrorum for-ſitan immoderantiâ, arbitrarium obsequium ſe dominis eâ ratione præſtare. Teſtatur Beneficia-rius ſe non poſſe ſoluere ſummam eam, quæ ei ſoluenda proponitur: compoſitione enim circa hoc vt frequentius iuuat; eò quod moleſtum Beneficiarijs accidat obuentiones quotidianas adnotare. Plus tamen pauſo, aut minus non æ-grè deprehenditur, quantum poſſit ex illis Præ-lato deberi. Dum verò timent ex negatione po-ſtulata ſummæ offentionem eius incurrere, eam redimunt ſolutione. Solet autem in iſtis pro re-gulâ aſſumi id, quod ſemel ſolutum eſt; minus enim eo alij Prælato tributo admitti renuitur. Quia verò Beneficij grandis eſſe opinio ſolet; quandoque quod antea fuit ſolutum, augetur: cum tamen opinio talis non inde ortum habeat, quod obuentiones pingues ſint; ſed quia maior eo loco pro contractibus commoditas adſit, vnde ſunt Parochi locupletes, vt ergo hæc aſpera ſiant in vias planas, totum id eſt Parochorum conſcientiæ relinquendum, dum aliud non conſtat manifeſtè, vt Prælati docti & timorata conſcienti-æ faciunt; quod autem ijs abundantius eſt, à malo eſt. Experimentis non raris compertum, complures Parochos plus titulo quartæ ſoluere, quam ſit tota obuentionum ſumma, dimidium ſtipendij à Rege aſſignati, aut etiam pluſ aliquid in ſolutionem dictam deſtinantes. Quam autem inquit hoc faciant, ipſi clamant, niſi aliqui fortè ſint, qui non grauantur contribuere, eò quod ſic beneuolos ſibi Prælatos curent, ne & ipſi curent

circa eorum vitam inquirere, ſed illos ſinant ſuis cupiditatibus inſeruire, vel certè vt mitius cum eis agant, ſi quid fortè ad eos fuerit de eorundem agendi ratione delatum. Aut quodam munifi-centiæ ſpiritu ducantur, qui in quibuſdam do-minari ſolet, ne puſilli & vilis animi erga perſo-nas adeo ſublimis videantur. Verùm quando de indebitâ quantitate conſtat per moraliter cer-tas coniecturas, neque moralis habetur certitudo de ſic ſoluentis animo, id, quod eſt incertum non debet contra certum præualere. Vnde ne-quit turâ conſcientiæ ſic oblatum recipi, aut rece-prim retineri, in quo ſicut in alijs, communis eſt ſcriptorum doctrina, de qua nos ſæpiùs, ſecun-dum communiter contingentiâ debet iudicari; cum rarus profecto ſit, qui vltroque tribuat Epil-copis id, quod ſe meminè debere cognouit: cum ſoleant, & iſta per viſitatores exigi, à quibus merito ſibi timeri poſſunt, qui in ſolutione tali inuenti fuerint parciores; & quidem non ſolum, excuſſus dictus grauis ſolet eſſe ſoluentibus, ſed quartæ ſolutio vniuerſim grauiſſimum onus cen-ſetur. Vnde & ſerio & iſtanter actum eſt in Regio Concilio pro parte Parochorum, vt illud ipſis tolleretur, ſed etiam Apoſtolica Sedes pro eodem interpellata; multis enim Indiarum in partibus quartæ vltus non inualuit, & Epilcopo-rum redditus nimium quantum increuerunt. Quod ſi aliquorum tenues ſint, id Regi libera-litate ſuppletur; ibi namque etiam Parochi tenuiſſimas habent obuentiones, vnde & non fa-cile inueniuntur, qui velint exiguis adeo ſtipen-dijs miniſtrare. Nihilominus nihil obtentum; & Epilcopi ſuo ſe dicunt iurè tueri, vt ab Apoſto-lica Sede in Concilio Limentino tertio, vt *num. 79.* vidimus, confirmato. Quando ergo onus ex ſe tale eſt, non debet nouo addito onere ab Epil-co-pis intolerabile reddi, vt portantes obruantur. Et hinc eorum aliqui excuſationem pro frequen-tandis mercimonijs ſumunt, dum auge ſe aliter non poſſe procuratoribus viſitatorum, & quar-tarum ſolutionibus ſatisfacere. Quodam verum coram Deo ſit, ad me non attinet iudicare. De quo vt admonui iam, etiam dicendam inferius *Ti-tul. 16. num. 24.*

§. V.

Non poſſe officia vendere quibus in ſui mu-neris executione iuuantur.

85 Dico ſexto: Epilcopi, nequeunt ven-dere officia, quæ ad illorum prouiſio-nem ſpectant, & miniſterium ſpirituale non con-cernunt, de quibus, ſicut & de Beneficij, nulla eſſe dubitatio poſſet. Sic tenet Illuſtriſſimus Za-pata de *iuriſd. diſtributiua, Parte 2. Cap. 18. num. 15.* P. Thomas Saneius *Lib. 2. Conciliorum, Cap. 39. n. 3.* & apud eum Salon, Aragon, Garcia, & Ludouicus Lopez. Et habetur expreſſè in Concilio Li-mentino tertio *Act. 3. Cap. 8.* vbi ſic dicitur. *Officia Notariatus aut Fiſcalatus, quemadmodum eſt in Con-cilijs Prouincialibus ſæpe diſpoſitum, neque vendantur, neque locentur, ſed hominibus probis, atque induſtrijs gratis ab Epilcopo conferantur: ſi ſecus fuerit factum, contractus omnis ipſo iure ſit nullus.* Sic ibi. Con-cilia autem Prouincialia, de quibus ſit mentio,

Quando obligatio reſtitutio-nis etiam in ijs, quæ ſponte tri-bus videntur.

Monitum ſalutare.

Aſſertio 6. negans li-cere vendi-tionem offi-ciorum mi-niſterialiũ.